&reuoluuntur ad litora . atq: iterum resorbentur . & in se fracti
luteum efficiuntur quod pedibus conculcatur . sic impii aeternae
conculcationi subiacebunt . quorum nullum est gaudium . & qui
nulla pace requiescunt in eo . quod impii perseuerant . Qui
dam hunc locum specialiter super saluatore intellegunt . quod
propter peccata mundi admodicum contristatus sit dicens . Tristis
est anima mea usq: ad mortem & percusserit eum pater . qui loquitur
per zachariam percutiam pastorem & dispergentur oues . Qui & ipse de se
in lxuiii psalmo dixerit . Quoniam quem tu percussisti ipsi persecu
ti sunt & auerterit dominus faciem suam ab eo . ut formam serui
paulisper acciperet & ambularet tristis & lugens . populi pec
cata deplorans & plangens hierusalem . & quia uiderit uias
eius pater . propterea sanauit eum qui fuit inter mortuos liber .
& caro eius non uidit corruptionem . Et qui percussus est in cru
ce sanaretur in resurrectione & consolatus inquit eum .
dans ei pro una gente iudeorum uniuersum mundum
& lugentes eius subauditur . consolatus sum nec dubium
qui in apostolos significet . & compleuit fructum laborum suorum
qui dixerat ei . postula a me & dabo tibi gentes hereditatem
tuam . & possessionem tuam terminos terrae . pacem super pacem
mundum reconcilians deo . Et utrumq: populum uocaret
ad se & sanaretur a patre . Impios autem de quibus supra
diximus conparat mari . quod numquam potest quiescere